DISSERTATIO MEDICA,

INAUGURALIS,

DE

Epiſpaſticorum Uſu in variis Morbis tractandis.

8

DISSERTATIO MEDICA,
INAUGURALIS,
DE
Epiſpaſticorum Uſu in variis Morbis tractandis:

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Viri Ornatiſſimi,

D. GULIELMI ROBERTSON, S. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ Praefecti;

NECNON

Ampliſſimi SENATUS ACADEMICI conſenſu,

Et nobiliſſimae FACULTATIS MEDICÆ decreto;

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini ſubjicit

THOMAS BRADLEY,

ANGLUS,

Soc. Reg. Med. Edin. Praeſ. Ann.

Soc. Natur. Stud. Edin. Praeſid.

Ad diem 24 Junii, hora locoque ſolitis.

EDINBURGI:

Apud BALFOUR et SMELLIE,

Academiae Typographos.

M,DCC,XCI.

Videamus oportet, ſintne, aut eſſe poſſint, veſicantia ſimplex ſtimulus.——BELLINI.

An application ſo univerſally, and, I may add, ſo *indiſcriminately* uſed.——WITHERING.

DANIELI RUTHERFORD, M. D.

Medicinae et Botanices

In

Academia Edinenſi

PROFESSORI;

Noſocomii Regii Medico, &c.

Ob

Amicitiam gratiſſimam,

Diſciplinam utiliſſimam,

Et

Plurima in ſe beneficia

Collata,

Has ſtudiorum primitias

Acceptas fuiſſe gratias habet

AUCTOR.

ERRATA.

Pag. 5.	lin. 16.	*lege*	attribuantur
10.	in Nota	—	abjicienda
13.	ult.	—	Dioſcoridis
18.	5.	—	migrante
53.	8.	—	raſo

Si quae alia, Lector benevole, emendes.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

Epiſpaſticorum Uſu in variis Morbis tractandis.

JAM inde, a primis temporibus, animadverto omnem fere medendi rationem, vel potius medicaminum applicationem, in duas diviſam eſſe partes, externam ſcilicet et internam. Hae vero partes paulo aliter ab antiquis ac recentioribus intelligebantur. Recentiores enim totam cutem ejuſque productiones per fauces, ventriculum, inteſtina, &c. externam judicant; vaſa autem ſanguifera, lymphatica, cavitates, thoracis ſcilicet, et caetera hujuſmodi,

interna esse deputant. Nos remediorum exter-norum minimam prope partem, cum de iis quae corporis superficiei tantummodo, cutique inte-grae, et quodammodo sanae, ad eandem vesican-dam vel exasperandam, applicari solent, differe-re in animo est, complectemur. Sed antequam ad enarrationem veniamus, haud alienum e-rit, uti speramus, pauca de philosophandi mo-do in rebus medicis, quo plerique medicorum jam diu usi sunt, et adhuc utuntur, praefari. In caeteris disciplinis, ex rerum factarum ido-neo numero, nos ad verum pervenire posse, credere fas sit. In medicina autem nulla dies satis longa, nullus periculorum numerus satis magnus, existimatur, ut inde vim veram, mo-dumque agendi medicaminum, statuamus. Un-de haec perpetua incredulitas et dubitatio? Ex naufragiis miserrimis hypotheseon et systematum, credo, et nos scepticos evasisse, et vel ipsum no-men theoriae in medicina pro monstro apud plerosque haberi. Omnes, sine dubio, theoriam,

quae

quae non experimentis et obfervationibus pluribus, et multorum medicorum innititur, jure fufpectam effe debere, fatentur. Sed, poft tot pericula et res factas, quot in multorum medicaminum ufu extant, adhuc in tenebris errare malle, non dubitantium eft, fed femet obcaecantium. Quinetiam ii qui theorias graviffime infectantur, revera, pro theoria una, quae res factas inter fe fociaret, et quodammodo colligaret, plurimas hypothefes arctiffime complecti deprehenduntur; in hoc fefe deceptos fallunt, quod nullam hypothefin fatis utilem amplectuntur, ideoque fe nullam amplecti credunt.

Quam igitur viam, in remediorum ufu, ad veram vim modumque operandi inveniendum, ingredi oportet? Eam folam, ni multum fallimur, quae inductio audit. Annon itaque ex paucis experimentis, ficut in aliis difciplinis, unius aut alterius medici fatis docti et candidi ad verum certumque perveniamus? Minime gentium; nihil enim adeo eft abfurdum, improbabile,

bile, immo etiam impoſſibile, quod medici ſummi non modo obſervarunt, ſed et pro compertiſſimo habuiſſe affirmarunt *. Ad inductionem igitur confugiendum, et eam quam latiſſime inſtituendam eſſe judicamus. Non ſatis eſt dixiſſe, "quicquid veri et utilis in medicina noſtra aetas "habet;" nam antiquiores medicos, et ipſos medicaminum repertores, nemo ſe fruſtra conſuluiſſe fatetur. Mihi quidem perſuaſum eſt, Archigenem vel Aretaeum haud minus juſte de epiſpaſticorum uſu, quam Frendium ipſum, judicaſſe.

Sed, antequam ad *hiſtoriam* et ſententias clariſſimorum medicorum proferendas accedam, illud quod in judicium venit paucis enarrabo. Omnes medicaminum repertores, inventorum ſuorum utilitatem, quam latiſſime patere demonſtrare laborant; ex ſtudio ſibimet facile fidem faciunt, et quae ipſi vera eſſe credunt, poſteros

docent.

* Ut hodiernos taceam, vide quae adnotavit Cl. Cullen Mat. Med. vol. 1. pag. 145.

docent. Tum vero, quoniam ars et experientia longae ſunt, et in medica ſcientia, prae caeteris, eſt maximi momenti error, poſteri veluti neceſſario fidem prioribus habere coguntur. Hinc multa Galeni nunc ſunt in honore ſomnia; hinc multiplices illae, cujuſvis medicamenti antiquioris vel nobilioris poteſtates, diverſiſſimique ne dicam contrarii, operandi modi, qui apud clariſſimos auctores leguntur et docentur. Rariſſime quidem, quantum nos vidimus, omnes effectus ejuſdem remedii, ſi paulo diverſiores obſerventur, ex uno eodemque operandi modo oriri, medici ſuſpicati ſunt. Dogmatici diu hoc philoſophandi opprobrium animadvertere, quod "iiſdem cauſis in iiſdem caſibus effectus diverſiſſimi vel contrarii attribuuntur,"[a] et varietates quaſdam, vel quorundam hominum aut morborum propria quaedam commenti ſunt, quibus haec frontibus adverſis pugnantia, in pacem et foedera ineant. Digitalis, e. g. nunc vomitum ciet, nunc alvum vehementer ducit,

nunc

nunc urinam promovet: an ſtatim dicendum, haec omnia ab eadem poteſtate vel uno agendi modo pendere non poſſe*? Nequaquam, hercule, credo; cathartica enim compluria, hac doſi vomitum, illa urinam vel ſudorem, conciliant. An non igitur rectius ſtatuamus, hos et his ſimiles effectus a quantitate ejuſdem dotis, vel a parte corporis cui applicatur, aut quam prae caeteris appetit, quam a qualitatibus diverſiſſimis in eodem medicamento poſitis, provenire?

Intra paucos hos annos, ſimplex illa praeſcribendi methodus adeo invaluit, ut veram vim virtutemque multorum medicamentorum ſatis notam habeamus; vix tamen unus et alter de materia med. auctor ſomnia veterum repudiare, et pro ſe judicare auſus eſt. In reliquis hujus artis partibus ad verum quam proxime ventum eſt; in remediorum poteſtatibus, adhuc medica ſcientia, dolenda ex parte, conjecturalis manet.

* Vid. Edin. Med. Eſſays, vol. 4. p. 294.

manet. Uſus et obſervatio recentiorum, poteſtates et dotes multarum herbarum, quas antiquiores laudabant, nullas omnino extitiſſe deprehenderunt; alias et longe diverſas ſaepe reperiere; nonnullas pleniſſime confirmarunt. In his igitur, quibus inter omnes conſenſum eſt, in certis morbis utendum eſſe, ſi unquam alias, verum agendi modum invenire queamus. Nihil niſi diligentia in legendo, ſelegendo, et conferendo deſideratur. Medici ſeniores et experientia edocti, obſervationes proprias, et quaecunque comperta habent, aliis minus nota, in lucem ut edant, jus publicum fere poſtulat: nos autem diſcipulos potius decet, quippe quibus curta experientiae ſuppellex, aliorum opiniones et judicata excutere, et quid inde veri et utilis colligatur, diligenter colligere. Si ad medicinam rationalem faciendam modus agendi requiritur, (quod fatendum eſt) tum certe haud operam inutilem quis navaret, qui cujuſvis medicaminis inſignioris, verum et proprium agendi modum,

ex

ex ſatis multis obſervationibus et periculis ſtabilitum et confirmatum, ſtatuerit. Medici enim celeberrimi, tum antiquiores tum recentiores, virtutes plures et multiplices medicaminum, quae revera nullae erant, ſaepius ex inopia rerum factarum, vel quod cauſae plurimae convaleſcendi eos fugere, praedicaverunt. Ut igitur copia ſatis magna obſervationum et opinionum ſuppetat, ea ſine dubio medicamina quibus uſus longiſſimus fidem fecit, et exhibitio frequentiſſima pretium addidit, imprimis ad normam revocari debent: et ex omnibus medicinae auxiliis, hoc ſibi juris prae primis vindicat cutis frictio, fomentatio, aut exaſperatio, tum antiquitate, tum uſu aſſiduo. Hoc ergo medicaminum genere, nihil ad experientiam uberius, nihil ad plurimorum opiniones copioſius, reperiri poteſt. Ob has praecipue cauſas, hanc rei medicae partem, prae aliis, ad tentamen inaugurale ſelegimus. Quo autem alii facilius judicium ferant, tum de tota cauſa, tum etiam an nos recte ſtatuerimus;

res

res factas et opiniones summorum medicorum, quanta potuerimus fide, ante oculos ponemus.

HISTORIA.

Medici veteres prope omnes cutis summae exasperationem magni fecere: hinc apud illos *dropacum*, *phaenigmorum*, *sinapismorum*, *ustionum per ferrum candens*, mentio frequentissima. Sed cum nos de *phaenigmis* et *vesicantibus* duntaxat, quae vi simillima pollere videntur, differemus, *fomenta* et *frictiones*, cum multis istiusmodi, quae Gymnasia Graecis maturius commendarunt, tacebimus.

Hippocrates (A. C. 400.) quanquam in frictionibus * et fomentis † usurpandis multus

est,

* De diaeta, lib. 2. § 42. 43. Vide etiam Celsi lib. 2. cap. 14. &c.

† De victu acutorum, § 11. 12. 65.

eſt, vix phaenigmis aut veſicatoriis uſus fuiſſe videtur. Cantharidum meminit *; ſed et rariſſime uſurpaſſe, et poteſtates parum intellexiſſe †, credibile eſt.

Celsus, (A. D. 40.) qui Hippocratem ut plurimum ſecutus, veſtigia Graeca vix auſus deſerere; et licet de re chirurgica praecipue ſcripſerit, patrem tamen fere ſequitur paſſibus aequis, ni forte eum paulo ulterius proceſſiſſe credamus, quum de paralyſi: "Prodeſt ‡ etiam," inquit, "torpentis membri ſummam cutem exaſperaſſe, "vel urticis caeſam, vel impoſito ſinapi, ſic ut "ubi rubere coeperit corpus, haec removean-"tur. Scilla quoque contrita, bulbique con-"triti

* De ulceribus, § 11. et de ſuperfoetatione, § 23. edit. Vander Linden.

† De victu acut. § 66. ubi tamen capita, pedes, et alae objicienda eſſe praecipit, (ſive quod inutilia, ſive quod venenata, minus conſtat) ad potionem hydropicam.

‡ Lib. 3. cap. 27.

" triti cum thure recte imponuntur." Vel de lethargo, " Praecipueque * proficit," inquit, " et " ad excitandum hominem naribus admotum, " et ad morbum ipſum depellendum, capiti fron- " tive impoſitum ſinapi."

Cantharides, inter adurantia, exedentia, et venena recenſet †, non autem ad ſcabros ungues ‡ adhibet.

Dioscorides (A. D. 60.) " Servatu || op- " timae cantharides ſunt, quae in frumentacea " ſegete lectae fuerint. Eas in fictile conjectas, " fictilis ore puro raroque linteolo colligato, ſu- " pra ferventis acerrimi aceti vaporem circum- " agito, fictili inverſo, uſque dum enecentur; " tum funiculo trajectas ſuſpenſas reponito. Ef- " ficaciſſimae

* Lib. 3. cap. 20.

† Lib. 5. cap. 8. 22. et 27.

‡ Lib. 6. fine.

|| Lib. 2. cap. 54.

" ficaciſſimae omnium quae variae et luteis ob-
" liquis cingulis in pennis ſunt," &c.

Unde haec cura adeo adcurata, nonne ex uſu diutius vulgato?

" Vires ſunt," pergit, " *exedere*, *exulcerare*, " et in ſummum corpus calorem trahere. Quam " ob cauſam, medicamentis miſcentur carcino- " mata, lepras, et aſperiores impetigines ſanan- " tibus. Menſes etiam trahunt peſſulis additae. " Tradiderunt aliqui hydropicis cantharides " auxiliari, antidotis ad ciendam urinam factis " additas."

De lethalibus venenis, " Qui cantharides," inquit, " hauſerint *, fere ab ore uſque ad veſi- " cam, cuncta illis erodi ſentiuntur; picique " aut cedrino liquori ſimile aliquid in guſtu ob- " verſatur. Urinae anguſtias patiuntur, ſaepi- " uſque per eam ſanguis fertur, &c. Oportet " itaque, dato oleo aut quovis alio ex antedic-

" tis,

* Lib. 6, cap. 1.

" tis, ad vomitum cogere: cumque vomitioni-
" bus quam plurimum veneni eduxeris, cly-
" ſtere, aut malvae decoctum, aut lini ſeminis,
" aut radicum althaeae, infundere. Dandae
" praeterea in cibo carnes pingues cum lini ſe-
" mine elixae; facilem enim alvum haec faciunt,
" ſimulque venenorum acrimonias hebetant."

Haec eo fuſius et plenius excerpſimus, quo luculentius appareat, quam parum quindecim ſaecula his adjecerunt. In ſequentibus multoties ſcriptores appellabimus, ut quemadmodum commenta, errores, et vanae nugae, juxta ac res revera factae, in rebus medicis, haereditario quaſi jure, ut ſupra monuimus, continuentur et perpetuentur, manifeſtum fiat.

Galen (A. D. 160.) De diureticis. " Fe-
" runtur enim," inquit, " ſponte * ſua cantha-
" rides per urinam ad veſicam, atque ſic roden-
" do eam, exulcerant," &c. Dioſcorides necan-

di

* Lib. 3. cap. 23. de med. ſimp. facul,

di rationem * et ufus medicos fere ad verbum sequitur, fi excipias, "Porro *praeceptorum meo-* "*rum quidam*, earum paululum quoddam in me- "dicamenta urinam moventia, folebat injicere. "At *quidam folas alas et pedes* injiciunt, quae "aiunt effe etiam alexiteria iis qui corpora ip- "forum bibiffent, alii contra: at *nos totas indi-* "*mus.*"

Aretæus (A. D. 180.) De lethargicorum curatione, "† Proderit," inquit, "fylvaticum "cucumerem ex aceto tritum, et aequae finapis "portioni admixtum, imponere; acre vero eft id "cataplafma, celeriterque ruborem concitat: . . . "verum, ne puftulas vulneraque efficiendo peri- "culum inferat, frequenter detrahendum eft ca- "taplafma, atque nunquid horum acciderit in- "fpiciendum."

Sed et eum cantharidibus fuiffe ufum ad rubefactionem, fi non ad veficationem, excitandam, patet

* Lib. 11. cap. 44. de med. fimp. facul.

† De curat. morb. acut. lib. 1. cap. 2.

patet ex his quae in morbi comitialis curatione praecipit.

"Prae omnibus * rubifactiones capitis . . . .
"valentior est autem quae fit per cantharides;
"sed, tribus diebus antequam his utamur, lac, ut
"vesica muniatur, bibendum est; cantharides
"enim magnopere vesicam laedunt."

ARCHIGENEM, ut aetate ita praxi et secta cum hoc conjunctum fuisse, verosimillimum est. Vid. Ætium infra.

CÆLIUS AURELIANUS, quanquam nullam de cantharidibus mentionem facit, vesicantia tamen saepius † usurpasse videtur.

ORIBASIUS (A. D. 370.) multa rectissime de sinapismorum et praeparatione et usu, usque ad pustulas excitandas ‡, tradit; sed cantharidum semel

* De curat. morb. diuturn. lib. 1. cap. 4.

† De morb. chron. lib. 2. cap. 1.; lib. 3. cap. 2.; lib. 5. cap. 1.

‡ Lib. 1. cap. 31.; lib. 8. cap. 3. &c.

ſemel tantum *, idque inter adurentia, meminit.

ÆTIUS (A. D. 500.) iiſdem ipſis verbis, quibus Dioſcorides et Galen, de uſu et modo enecandi monet: " Ad hos uſus," inquit, " commodiores ſunt, *velut ego expertus ſum* †, quae " in tritico," &c.

Paralyticis ex Archigene, " Dropaces," inquit, " ipſis ‡ commodiſſimi ſunt. Revocat autem ſenſus etiam thapſia cum aqua illita, aut " cum aceto poſt dropaces: item illitis ex cantharidibus. Verum *ulcerationes ex talibus fientes, cicatrice citius includere oportet:* quin et ſinapiſmi ipſis commodi ſunt," &c.

De Hemicrania ex eodem. " Nos autem utimur ‖ cataplaſmata ex cantharidibus: et mi-

" rifice

* Lib. 2. cap. 48. Vid. Baglivi de uſu et abuſu veſicantium, cap. 3. § 1. ! !

† Tetr. 1. ſerm. 2. cap. 174. et vid. cap. 229. et 233.

‡ Tetr. 2. ſerm. 2. cap. 28.

‖ Tetr. 2. ſerm. 2. cap. 50.

" rifice facit, dum per longum tempus ulcuſcu-
" la ab hoc pharmaco fientia, ſanie manant.
" Oportet autem munitam eſſe veſicam," &c.
quae Aretaeus.

Alexander Trall (A. D. 520.) De ſinapiſimi et dropacis uſu, " Sin autem puſtulas ex-
" iguas et bullas aquae plenas *, fieri contingat,
" terreri non debes. At diuturnos affectus, et
" perſeverantias, iis potius ſolvi medicamentis
" accidit, quae violentiora eſſe videntur."

" Ac alium ſimiliter ſpectavi † medicamento
" diacantharidon uſum, ac maximas gratias a-
" gebat; nam puſtula, quae a medicamento fie-
" bat, rupta, multus humor excernebatur, atque
" hoc eveniente plurimum juvari ſe dicebat."

Paulus Ægin. (A. D. 610.) nihil mutat niſi " Ad hemicraniam ‡ diuturnam. ℞. Alii ℥iv.
" cerae, axungiae, et cantharidum *a ā* ℥ii. coe-
" ant in emplaſtrum veſperi imponendum, et

C " per-

* Lib. 10. † Lib. 11. ‡ Lib. 3. cap. 5.

" pernoctare ſinendum. Mane vero puſtulam " rumpe, et idoneo emplaſtro cura."

Quid Actuarium, Myrepsum, cum multis aliis memorem? Ad Arabes, cum medica ſcientia hoc tempore migranter tranſeamus.

Mesue (A. D. 840.) unguenta veſicantia, ex cantharidibus, et abſque iis, exhibet.

Rhazes (900.) cantharidum * hauſtus periculoſos, &c. quae Dioſcorides de curatione memorat; ſed de paralyſi, &c. nec ſinapiſmorum nec cantharidum mentionem ullam facit.

Avicenna (1000.) ſinapiſmos capiti in lethargia †, membris in paralyſi ‡ commendat. " Parum de iis" (de cantharidibus ||, quarum ſaepius meminit, et ea, quae Galenus monet) " etiam," inquit, " adjuvat medicinas provoca- " tivas ad provocandum abſque nocumento, et " provocat menſtrua, et facit abortum."

Aven-

* Lib. 3. cap. 52. et lib. 8. cap. 17. † II. 2. cap. 681. ‡ III. 2. cap. 1. 4. || II. 2. cap. 206.

Avenzoar, Averrhoen, &c. utpote qui nihil novi proferunt, praetermitto.

Ad recentiores tandem veniamus.

In Italia, Nicolaus Bertrucius (1250.) ejusque discipulus Guido de Chauliac, vesicantia plurimi faciunt.

Hollerius (1550.) et Hieronimus Mercurialis (1570.) liberiorem vesicantium usum induxerunt. Hic enim de febribus pestilentialibus, "Adnumerare possumus," inquit, "auxilii genus illud, quod vesicatorium * nuncupatur. Haec vesicatoria venenum a corde ad partes ignobiliores trahunt." En theoriam! .... "Frequentissime omnium utimur cantharidibus una cum fermento, hoc modo,

"℞. Cantharidum praepar. ℈iii

"Fermenti ℥ss

"Aceti acerrimi q. s. ut fiat Pasta.

"Addi

* De peste, cap. 26.

"Addi etiam poteſt interdum, modo ſinapi, "modo euphorbium *."

Medici tamen phaenigma timide gelideque uſurparunt, donec exorta ſaeviſſima peſte an. 1591, Piſauri, Dux Urbinatium univerſos Scholae Patavinae medicos conſuluiſſet, quibuſnam remediis invaleſcenti morbo occurreretur; hinc de veſicantium uſu ſumma medicorum diſſentione certatum eſt.

Sed omnia, quae contra diſputata ſunt, refutavit Hercules Saxonia libellis tribus, De phaenigmis, &c. anno 1593, editis. Ab hoc tempore epiſpaſtica inter auxilia medicinae locum principem tenuerunt. Noſtrum igitur deinceps erit ſententias et opiniones ſummorum medicorum de uſu et operandi modo, inter ſe conferre et

* Ipſe autem queritur de uſu promiſcuo in febribus, ſuis temporibus invaleſcente. De comp. med. lib. 3. cap. 23.; quae quidem querela per omne dein tempus continuatur.

et proponere, ut quid veri certique ſit, tandem eruamus.

HELMONTIUS (1642.) "Stulta nimirum ſub-"ſidia circa corporis ſuperficiem, ubi centralia "laborant, et obſeſſa ſunt." . . . . "Veſicatoria "autem ſumme ſemper noxia ſunt, et a ſpiritu "nequam * Moloch excogitata."

BELLINI (1670.) vim virtutemque veſicantium a ſimplici ſtimulo, non autem a fermento aliquo pendere contendit. "Itaque ex his pa-"tet," inquit, "veſicantia † haberi poſſe pro ſti-"mulis ſimplicibus, ſeu ſine fermento, atque "ideo veſicantium operationem eſſe *movere, fun-"dere, evacuare*; et quidem haec omnia maxi-"me, cum per inſigne corporis ſpatium ſtimu-"lant." &c.

Venio nunc ad tres ſummos medicos, ut aetate ita auctoritate prope pares, et qui inſtar omnium ſui ſaeculi medicorum habeantur, Sydenham,

* De Feb. cap. 7. vide quae de hoc judicavit Baglivi, de veſicant. praefat.

† De ſang. miſſione, pag. 190.

ham, Morton, et Hoffman. Ille totus Hippocraticus plurimum naturae, arti parum, confisus; rariſſime ad medicamenta validiora confugit, idque coactus. Hi vero multae artis, ſummae eruditionis medicae, aegrotos arte perire quam morbo, ſi electio detur, longe ſatius eſſe duxerunt. Sin igitur in his diutius morer, a judicibus aequis veniam me impetraturum, praeſertim cum hi nominatim ſuper hoc ipſo argumento ſententias plenius propoſuerunt, confido.

SYDENHAM (1680.) in ſynocho cum ſtupore ſuadet emplaſtrum epiſpaſticum bene largum nuchae applicandum, ut a capite derivatio fiat. "Porro judicabam," inquit, "emplaſtra * epiſ-"paſtica ſatis ampla cervici poſteriori applicita "in hac febre potius ex uſu fore quam in aliis, "quibus materia febrilis haud ex aequo caput "tentabat; etenim a cruciatu et fervore vehe-"mentibus, quos dicta epiſpaſtica parti cui im-"ponuntur ſolent imprimere materia, quae ſe-

"cus

* De febris contin. an. 1673, 74, 75, curat.

"cus in caput aſcenderet, in locum affectum "corrivatur."

In peripneumonia "Epiſpaſticum *nuchae* ap-"poni curavi *." In Scarlatina, "Si convul-"ſiones epilepticae †, vel etiam coma huic mor-"bo ſub initium eruptionis ſupervenerint, om-"nino oportet ut epiſpaſticum amplum ac forte "poſteriori cervici applicetur." In pleuritide vero epiſpaſtica tacet.

Morton (1690.) de methodo curandi febrem continentem rationali, "Veſicatoria ‡ pluri-"mum," inquit, "in hunc uſum conducunt, "non ob copiam lymphae quam eliciunt, quae "non magis morboſa mihi videtur, quam urina "et reliqua colluvies ſeroſa, inſenſibili tranſpira-"tione aut ſudoribus per poros cutis continuo "excreta: verum ideo praeſertim quod partes "ſubjectas corrodant ac inflamment, atque con-"ſequente, diatheſin inflammatoriam maſſae hu-"morum

* De tuſſi epid. an. 1675, &c. curat. † De febris ſcarlatinae curat. ‡ Tom. 2. exercit. 2. cap. 7. pag. 186.

" morum impertiant. Spiritus autem (*vires vi-*
" *tae*) ab hac inflammatione artificiali non pos-
" sunt non pro tempore expandi, excitari, et ro-
" bore iis arte conciliato, conservari; adeo ut
" deliria, subsultus tendinum, reliquaque ejus-
" modi symptomata, antevertantur, et jam sub-
" orta certius curentur, quam a quocunque alio
" remedio intus vel extra adhibito. Ex quo con-
" stat magnum hoc remedium perperam a vul-
" go medicorum in quibuscunque febribus *in-*
" *discriminatim* adhiberi; siquidem in inflam-
" matoriis, nisi cum suapte sponte in malignas
" degeneraturae sint, aut a profusis venaesectio-
" nibus praecedentibus, vel aliis evacuationibus
" nimiis spiritus (vires vitae) profligati imbelles
" reddantur, plurimum nocent, ac flammam *
" flammae adjiciendo, curationi officiunt.

" In eundem finem etiam suppedanea (sina-
" pismi) acria et stimulantia, vel spiritus foven-
" tia, ac instaurantia, applicari convenit.

De

* Vide Huxham, pag. 11.

De febribus malignis "In * ultima harum "febrium ſcena, ubi natura victa manus datura "eſt, adſunt diriſſima nervoſi generis ſympto- "mata, cum reſpiratione ſuſpirioſa, pulſu tre- "mulo, madore frigido per totam machinam "diffuſo, praeter caput, quod jam intenſe inca- "leſcere ſolet; ſi modo quicquam adhuc tentan- "dum reſtat, unice indicatur copioſus uſus alex- "ipharmacorum, ſpirituum volatilium, acrium "ſuppedaneorum, atque *frequentium veſicatorio-* "*rum*, ut ex inflammatione artificiali, ſpiritus "animales languentes et oppreſſi, tandem re- "ſuſcitentur, quo modo *plurimos* ab orci fere "faucibus *revocatos novi*."

De maturatione variolarum, "Quamprimum † "autem diarrhoea, horror, vel quidem minima "faciei detumeſcentia, febris repullulatio, deli- "ria, vel vigiliae inſolitae, ſalivationes prae- "propere declinaturae, ſuſpicionem dederint, "illico incunctanter ad alexipharmica majora

 "(con-

* Tom. 2. exercit. 1. cap. 1. fine. † Tom. 3. p. 151.

" (consentiente magno ipso Sydenhamio, qui " jam vel vinum ipsum Canarinum et opium " concedit * ministrandum) theriac. androm. " scilicet serpentar. virgin. &c. eorumque do- " ses largiores in forma bolorum vel haustuum " saepius repetendas, confugiendum est, et ad " *epispasticorum frequentium* applicationem. Opi- " ata etiam, manu magis libera et frequentius, " repetenda sunt," &c.

De variolarum declinatione: " At vero † in " malignis quibuscunque variolis, ubi vel febris " uno tenore a primo insultu jugiter perseverat; " vel recidiva post intermissionem vel remissio- " nem notabilem recurrit, cum vigiliis, deliriis, " caeterisque id genus symptomatis, medicum " oportet sedulo et incunctanter a partibus na- " turae stare, assiduo, opportuno, et repetito " usu corticis Peruviani, *vesicatoriorum*, opiato- " rum,

* Works in English, 2 vols. 8vo. vol. 1. p. 180. & 184.

† Tom. 3. pag. 185.; vide etiam pag. 118. 120. 28. 29. 30. &c.

" rum, et alexipharmacorum generosissimorum, " pro ratione febris et symptomatum praesenti- " um diversa, atque indicationibus inde subortis. " Atque equidem ipse cl. Sydenhamius, strenuus " frigidi regiminis patronus et propugnator, " saltem in hoc stadio, alexipharmaca et vinum " generosissimum, multo usu doctus, concedit."

HOFFMAN (1690.) " Licet sal volatile illud " causticum cantharidum, etiam * per usum ex- " ternum, in universum nervosarum partium " systema penetrans, eas convellat; tamen in " febribus continuis, etiam malignis, ubi pulsus " sunt languidi, sopor et torpor capitis urget, " et petechiae, variolae, morbilli, purpura, *po-* " *dagra*, *erysipelas* retrocedunt, non sine emolu- " mento vesicatorium nuchae et carpis imponi, " observationes practicae testatum faciunt." In eandem sententiam cl. Waldschmidium, in hunc modum locutum, laudat, viz. " Nunquam me " fefellit vesicatoriorum usus in morbis malig-

" nis:

* Tom. 1. pars 2. cap. 8.

" nis: ubi motus arteriarum languidi ſunt, et vis " quaſi naturae fracta, ſtimulo illo, quo praedita " ſunt veſicatoria, univerſi corporis tubulos ner-" voſo-muſculares, ipſaſque arterias, de novo " animant; pulſus antea depreſſi ſeſe attollunt, " parvi majores fiunt. Ex quibus apparet," inquit, " non ſine cura et cautione in pulſu for-" ti et celeri veſicantia adplicanda eſſe, niſi do-" lores, febres, inflammationes accendere, et " phrenitidem accerſere velimus. Ex his quo-" que credo facile apparere rationem, cur in ve-" tuſtis et rebellibus hemicraniis, cephalalgiis, " doloribus iſchiadicis, ophthalmia inveterata, " proſunt." In aliis operum partibus veſicato-riorum uſum in epilepſia, comate, epiphora, pa-ralyſi ſuadet, in phrenitide et ſcorbuto improbat.

Baglivi (1694.) qui de hoc ipſo argumento diſſertationem eximiam ſcripſit, " Se totum ad " veſicantium commoda et incommoda inda-" ganda vertiſſe," teſtatur; de modo agendi, " Com-

" Communicato," inquit, " acri * cantharidum " ſale humoribus ad coagulationem diſpoſitis, " eorum particulas diſgregat, ſolvit, et ad priſti- " nam fluiditatem diſponit; verbo dicam, ad " ſolvendas incipientes ſanguinis coagulationes, " ſtagnationeſque in quocunque morbo, quali- " bet aetate, temperamento, anni tempore, &c. " vix ullum praeſtantius, et ita celeriter agens, " obſervavi remedium, quam veſicantia. Non- " nulli medici, falſa imbuti opinione, veſicantia " vim habere extrahendi venenum febrium ma- " lignarum, *indiſcriminatim*, contra omnes cujuſ- " cunque naturae febres, eadem praeſcribebant, " magna aegrotantium pernicie."

De pleuritide, " Introducto," inquit, " acri " cantharidum ſale in ſanguinis maſſam, et mox " in pulmones, in quibus ſtagnatio metuebatur, " incipientes coagulationes ſolvebat. Capitis " morbos intelligo eſſe productos a craſſitie, " ſtagnatione, et lentore fluidorum, et itaque

" *Arabes*,

* Diſſertat, de uſu et abuſu veſicantium.

" *Arabes, primi veſicantium inventores,* nunquam
" iis utebantur, niſi ad excitandos ſoporoſos et
" a morbo refrigeratos. Quoniam pertinaces
" viſcerum obſtructiones, cachexiae, ſuppreſſio-
" nes menſium diuturnae, a tali ſanguine origi-
" nem habent; ideo hortamur medicos, ut, in
" caſibus deſperatis, cantharidum uſum experi-
" antur." Hanc equidem adhortationem poſteri
ejus plerique, ad hunc uſque diem, velut ſacro-
ſanctam, nec ullo piaculo negligendam aut prae-
termittendam, habuerunt.

"Ergo in morbis a coagulo, et lentore, cum
" fibrarum paralyſi, aut laxitate, neceſſario ſunt
" admittenda, et piaculum eſſet ſtimulantia, ob
" praeconceptam hypotheſin, aut negligere, aut
" ſerviliter apud vulgus laceſſere. Morbi alii,
" in quibus prae caeteris convenire poſſunt veſi-
" cantia, ob rationes antedictas ſunt, malignae
" febres ex coagulo et viſciditate humorum;
" affectus ſoporoſi; catarrhi a viſcida materia
" pendentes, et irruptionem in pulmones mi-

" nantes;

" nantes; dolores fixi et acriter partem aliquam " divellentes; convulsiones sine febre, epilepsiae, " aliique hujusmodi nervorum morbi; demum, " in omnibus aliis in quibus necesse est solvere, " divellere, derivare, excitare, &c. Morbi au- " tem, in quibus vesicantia, sinapismi, purgan- " tia, aliique hujusmodi stimuli, minus proficui " vel saepius nocivi observantur, occurrunt, in " corporibus plethoricis; nam major in fluidis " fermentatio, turgentia, et orgasmus excitatur, " et in solidis vivida quaedam oscillatio. Item " in vulneribus capitis, suspicione convulsionum, " vel, si jam factae sint, quibus lues Gallica se- " mel contigerit, delirantibus, stranguria, calcu- " lo, graviditate," &c. &c.

Tam diu in hoc auctore morati sumus, non quod pathologia humoralis apud omnes sanio- res medicos non obsolevit, vel quod lentor, crassities, coagulum, fermentatio, eliminatio, &c. quidquam nos movent; sed quod observator a- cerrimus, medicus doctissimus, ad hanc rei me-

dicae

dicae partem totum ſeſe convertiſſe teſtatur, ideoque auctoritati ejus, vel etiam opinioni, plurimum tribuendum eſſe judicamus.

Boerrhaave (1710.) Epiſpaſtica ad * revulſionem, evacuationem, et ad lentorem fluidorum attenuandum, ideoque in multis morbis adhibenda, proponit: ſed, ob multiplicem agendi modum, et humoralem pathologiam, minoris eſt auctoritatis et pretii apud hodiernos.

Friend (1716.) Hic item auctor graviſſimus et medicus doctiſſimus, commentarium de veſicantibus, quae cantharides recipiunt, reliquit. Is vero, quoniam "Qua vi, quo demum modo, humores attingant, ac commovent, *nemo ſatis adhuc explicavit* †," in hanc arenam ſatis certe exercitatus, et inſtructus, deſcendit. Queritur "quicquid uſpiam a veſicantibus venit auxilii,

"ab

* Aphor. 1024. 1025. 1027.; adhibet etiam in Catalepſi 1044. Rachitide 1489. Podagra introverſa 1281. etc.

† Quod omnes aperte vel tacite cauſantur. Vid. Percival, p. 120.

" ab una *ſeri evacuatione*, derivare medicos ſatis
" habuiſſe; cum tamen intra hos limites mini-
" me conſiſtere videtur cantharidum virtus,
" quae tam late patens, tamque mirifica eſt, ut
" nullatenus explicari queat, niſi rationem eam,
" qua non *cutim modo, ſed et ſanguinem afficiunt,*
" *aſſequamur.* Veriſimile eſt eas etiam, cum cuti
" admotae ſint, altius pervadere, humoreſque
" commovere, ut ſeſe ad perſpirandum magis ac-
" commodent, ut ſudores facilius fluant.

" Sanguinis molem admodum attenuant, cur-
" ſumque intendunt; ideoque in *lentis febribus,*
" in quibus pulſus imbecillis languiduſque de-
" prehenditur, ſi quid auxilii veſicantia tulerint,
" *eum illico invaleſcere ſentimus.*

" In morbis quamplurimis, iis praecipue qui
" *caput impetunt*, expeditum nec opinatum leva-
" men praebent veſicantia. In *febribus acutis* tu-
" tum maxime atque expeditum auxilium prae-
" ſtant. Idem in variolis, morbillis, febre, ſive
" ſcarlatina ſive eryſipelatoſa, quotidie experi-

" mur: in quibus morbis, licet ſanguis ardenti-
" us aeſtuat incitatiuſque feratur, hoc tamen
" auxilii genere haud dubitanter utimur.

" Quare nequaquam audiendi ſunt ii, (Bag-
" livi) qui in *affectibus nervoſis in febribus ar-
" dentibus et continuis*, etiam ſi ſopor aut deliri-
" um acceſſerit, veſicantium uſum repudiant *."

Mead (1740.) Epiſpaſtica in † variolis malignis, praeſertim quum petechiae puſtulis interſerantur, delirium vel convulſiones poſtulent aut maturatio ceſſaverit. Sed ſi maturius adhibeantur, "Verendum eſt," inquit, "ne can-
" tharidum acrimonia ſanguis commotus minus
" ad humorem in puſtulas pellendum valeat."

Huxham (1750.) Epiſpaſticis ſaepiſſime utitur, et fere nunquam non pro ſtimulis, vel ad fonticulos aperiendos. "Bliſters, which greatly
" ſtimulate the fibres, are very improper in the
" beginning, at leaſt, of all ardent and inflam-
" matory

* Comment. de evacuationibus.

† De variolis.

"matory fevers *." In febre nervoſa lenta † uſum ſuadet; ſed de typho monet: "I think "bliſters are many times too haſtily applied ‡, "eſpecially in the beginning when the fever "runs high, and doth not demand a further "ſtimulant; for the action of the cantharides "is not merely on the ſkin, but affects the whole "nervous and vaſcular ſyſtem." De variolis: "Bliſters muſt be applied ‖ to rouſe the ſlug-"giſh oſcillations of the veſſels." "Bliſters "ſhould never be neglected in a peripneumo-"nia notha §, as not only ſerviceable from their "attenuating and ſtimulating quality, but alſo "as they drain off part of the morbid colluvies.

Pringle (1750.) In pneumonia aut pleuritide incipiente, vel una cum prima ſanguinis miſſione, epiſpaſtica optimo ſucceſſu ſeſe adhibuiſſe teſtatur.

* Eſſay on fevers, pag. 11. † P. 82. ‡ P. 118.
‖ P. 140. &c. § P. 231.

teſtatur. Saepius in aliis morbis utitur; ſed de modo operandi, niſi loco citato *, ſilet.

De Haen (1764.) "Obſervatione practica "propria, ad eas cl. virorum adjecta, conſtat "mihi," inquit, "evidenter, veſicantia prodeſſe, "ubi vis vitae debilior, quam ut morbum co- "quat †," &c.

"An evacuationibus aliis ſufficienter inſtitu- "tis diſſolvant quoque cruorem phlogiſticum? "Sapientioribus hoc determinandum relinquo; "id modo teſtatus, quotieſcunque dolorem pleu- "riticum, ad phlebotomias iteratas, caeteraque "auxilia immorigerum, veſicante brevi ſuſtuli- "mus; quando veſicans mihi in pleuro-perip- "neumonia omnem brevi ſedavit dolorem, fe- "brim non modo non intenſiorem, ſed mode- "ratiorem

* "Being ſatisfied," inquit, "if the vein was open- "ed before the flies had time to *ſtimulate*."—Diſeaſes of the Army; Vid. pag. 135. 141. 150. 160. &c.

† Vol. 2. pag. 411.

" ratiorem fuiſſe, multoque faciliora ſputa pro-
" diiſſe."

" Proxime autem ad veſicantia, qui accedant
" dropaces, phaenigmi, ſinapiſmi, huc quoque
" referendi ſunt.

" Ex phaenomenis enarratis diſtruuntur ra-
" tiocinia praxeos vacua, quaſi calorem in cor-
" pore praeparato excitarent, eo qui a calidis
" alexipharmacis excitatur formidabiliorem; un-
" de in praeparatis, ut ſemper requiro, corpori-
" bus, ad intolerabiles capitis dolores, ad coma
" utrumque, ad deliria, ad pungentes dolores
" pleuriticos, iſchiadicos, &c. ſalubriter adhiben-
" tur, humorum minime inde acuto motu. In
" ileo item *."

WHYTT (1764.) " In convulſive † motions
" or ſpaſms, ſuch remedies are often uſeful, as
" by painfully affecting the nerves of ſome part
" of the body that is ſound, in a great meaſure
" leſſen or deſtroy the ſenſe of that irritation
" which

* Vol. 3. p. 387. † Nervous Diſeaſes, pag. 447.

" which was the cause of those symptoms. (Hip-
" poc. Aphor. 2. 46.) Of this kind are blisters,
" acrid cataplasms, dry cupping, friction, and
" the cold bath, &c."

Macbride (1771.) de motibus vasorum nimium languentibus agens, ad eos excitandos *, cardiaca, epispastica, et roborantia proponit.

" The use of blisters," inquit, " may be con-
" sidered as being threefold;

" 1. When they are applied as acrid stimulants
" to rouse and excite new motions in the li-
" ving solids.

" 2. To allay pains, take off spasm, or abate in-
" flammation.

" 3. As evacuants to promote a discharge of se-
" rum.

" Blisters promise to be of most use in cases
" where the distress proceeds from the disorder-
" ed state of the living solids †; therefore we
" are

* Theory and Practice of Physic, 4to, p. 282.

† Vid. Percival, p. 120. et 158.

" are to confider them chiefly in the light of " ftimulants, antifpafmodics, and anodynes, and " not expect much from them as evacuants, ex- " cept where the difcharge is kept up for a con- " fiderable time."

Expertiffimus LIND, in febribus contagiofis, hoc auxilii genus, quod a veficantibus provenit, omnibus aliis remediis longe anteponendum judicat. Nonnulli forfitan eum pluris feciffe, quam par erat, fufpicarentur; nos autem, propter fummam experientiam et magnam auctoritatem, imprimis appellandum effe putamus. " The reco- " very of the greateft part was owing to bli- " fters, and the effect of thefe was both furprif- " ing and fudden. I have more than * once in " an evening ordered eight or ten to be blifter- " ed, and have left them with a quick pulfe, " great heat, immoderate thirft, a pain, confu- " fion, and heavinefs of head, and fuch a lifelefs " funk ftate of the eyes as denoted great dan- " ger.

* Lind on fevers and infection, pag. 8. 9.

" ger. But next morning I found these patients " with a lively brisk eye, a calm pulse, and with " a desire to get out of bed."

De febre petechiali. " Some authors *, from " a supposition of the great dissolution of the " blood in petechial fevers, and from another " supposition, that blisters increase the dissolu- " tion of that fluid still more, have forbid their " application in such fevers. But the experience " of the most eminent practitioners † does not " support those theoretical opinions. The ma- " lignity, in no common fever, can be character- " ised by spots alone," &c.

" These observations claim the more atten- " tion ‡, as not being a few remarks made in " private, or on any one particular fever, which " might prove an exception to a general esta- " blished principle in practice. They are the " result

* Pag. 87. Vide etiam pag. 68. 70. &c.

† Riverium et Etmullerum nominatim laudat in eandem sententiam.

‡ Pag. 71.

"result of an attention to some thousand pati-
"ents, whose cases are still preserved in the
"hospital."

JOHANNES CLARK, medicus item magnae auctoritatis et experientiae, saepius in febre continua epispastica adhibet, eadem, ut videtur, indicatione qua corticem et vinum *. "With "respect to blisters, I am very far from being "an advocate for their general use †; . . . . but "when fevers have been neglected, and delirium "comes on attended with a weak pulse, and a "dangerous comatose disposition, I have fre-"quently seen a blister applied to the head, at-"tended with the best effects".

Theses in hac academia nuperrime defensae, ad hoc argumentum unice spectantes, editae sunt a Doctoribus HICKS et CARSON, Sept. 1776, quae theoriam spasmodicam, eo tempore, ut cum maxime flagrantem, tuentur.

F Auctores

* Observations on fevers, pag. 29.

† Vide Historiam 17. pag. 91.; Hist. 27. pag. 124.

Auctores alii, de hoc argumento nondum laudati, atqui laude dignissimi, sunt Glass *, Percival †, et Forsten ‡; quorum opiniones de modo multiplici operandi, quoniam paucis complecti nequivimus, praetermittendas, potius quam minus perspicue exhibendas, judicavimus. Sententiis et judiciis eximiorum hujus almae Academiae Professorum de hoc argumento, uti mihi religio fuit, cum sint hujusce, qualiscunque sit, dissertatiunculae, judices, et publice, si quid cuiquam eorum minus arriserit, oppugnatores.

Quid tandem, horum omnium sententiis perspectis et perpensis, nobis dicendum statuendumve est? Quem ad finem haec tot tantorumque scriptorum appellatio? Cur eorum quae omnium manibus versantur haec tanta jactatio?

1*mo*, Ut res factae, scilicet, observationes, experta (et quantum humana fert natura) comperta,

* Comment. de Febribus, com. 12. † Essays, vol. 1. edit. 4ta, 1788. ‡ Disquisitio Med. edit. altera, 12mo, Argentorati 1776.

ta, ſummorum medicorum, ad verum indagandum miniſtrarent.

2do, Ut lectores, uno conſpectu, quid ſit de his rebus judicandum, videant.

3tio, Ut noſmet, variis diverſorum temporum opinionibus, oblectemur.

MODUS OPERANDI.

Ex hiſce omnibus, uberius hactenus excuſſis, patet, epiſpaſtica praecipue per omne tempus, vel ad cutem exaſperandam, vel ad ſoporoſos et torpidos excitandos, adhibita fuiſſe: et nobis, ex ſupra propoſitis, perſuaſum eſt, eorum vim virtutemque ſalutiferam a vi ſtimulatrici, duplici modo rationeque exſerta, pendere; ſed, ne ſit ulla vocum ambiguitas, neve prolixitas, ſtimulos hic voco (cum pluribus ſuperioris ſaeculi medicis) " omnia quaecunque ictus arteriarum pleniores

" reddunt,

"reddunt, vim vitalem augent aut ſuſtentant, "animoſve exhilarant," ſive alexipharmaca, ſive cardiaca, ſive roborantia *, ſeu quocunque alio nomine gaudeant. Ad hanc ſententiam ſtabiliendam, neceſſarium erit, ut epiſpaſtica ſemper ſtimulare, et effectus medicinales a vi ſtimulatrici oriri, demonſtrem.

Quod ad primae partis demonſtrationem attinet, paucis, neque enim pluribus opus eſt, ſatiſfacturum me credo. Dolor, ardor, rubor, veſiculae, et tandem ulcera eorum exhibitionem ſtipantes vel ſequentes, cutem et vaſa cutanea exaſperari, inflammari, et ſtimulari ſatis docent. Eſt autem hic ſtimulus *localis*. Sed hic epiſpaſticorum ſtimulus non ſuperficiem ſolummodo pertingit†; is enim eſt totius corporis conſenſus, ut

* Nonnulli *roborantia* in *nutrientia* et *ſtimulantia* dividunt, ſed nihil opus eſt ad praxin.

† Friend, Huxham, Macbride, Lind, &c. ſupra citat. Percival, pag. 126. 130. 136. "Pulchre enim veſicato- "riorum

ut nulla pars diutius vel gravius affligi, caeteris incolumibus et tranquillis, poteſt *. Hinc facile intelligitur cur, ſtimulis quibuſdam ventriculo admotis, ut vino ejuſque ſpiritu, &c. ſyſtema totius corporis totum excitetur. Nonnulli hos ſtimulos ejus eſſe generis, quod celerrime ſeſe per corpus diffundit, exiſtimant: quibuſlibet autem vocibus utamur, inter ea, quae functiones plures ſuſtentant vel animant, epiſpaſtica adnumerari nos volumus. Sed ſimul cum ſtimulo totius ſyſtematis, hoc medicamen comitetur neceſſe eſt, cum exaſperatione et dolore partis, quae, quamvis minoris momenti, effectum, tamen in his morbis, latiorem et magis generalem ſupra memoratum juvant et promovent.

A. Ex

" riorum ope languentes motus naturae excitantur;" Forſten, pag. 166. et 134.

* " The ſeveral parts of the body are ſo connected " as to form one continuous body, and ſo the tenſion or " relaxation of the whole muſt depend upon that of every " particular part."—Cullen's Mat. Med. II. pag. 117.

A. Ex hac duplici quadam indole, in morbis sequentibus, epispastica omnium consensu suadentur, viz. apoplexia, paralysi, caro, comate, vel lethargo, delirio provecta febre. Item cum omnes spasmi, tetani, &c. vel ex subductione vel perturbatione stimulorum assuetorum pendeant, stimulum vicarium et remedium praestantissimum epispastica observantur. Ideoque in asthmate, et varia spirandi difficultate, felicissimo eventu adhibentur.

B. Sed eodem tempore, quo stimulus ille generalis, aliquatenus dolore topico adjutus, in universum corporis systema, ejusque morbos, vim suam exserat; stimulus item localis haud operam mediocrem, ut supra demonstravimus, navare observatur. Est autem hic scopulus iste *, tot super hoc medicamine scriptorum, naufragiis infamis. Quum enim videant epispastica, in

* Vide thesin D. Hicks, Sept. 1776, pag. 8. 9. et omnes qui contra vim stimulantem scripserunt, et nonnullos qui defenderunt.

in excitandis aegris, eadem vi pollere, qua caeteri ſtimuli generales, monſtri ſimile videbatur, ea in inflammationibus viſcerum tantopere prodeſſe. Hinc, ſalem acrem, ſolutionem lentoris, fermentationem, eliminationem, &c. medici ſine cauſa cauſati ſunt. Si vero recta reputaſſent via, animadvertiſſent, epiſpaſtica non utique vi generali, ſed differentia quadam vel exceſſu ſtimuli localis ſupra generalem, effectus ſalutiferos praeſtare In pneumoniae, e g. rheumatiſmi, ilei, &c. quibuſdam ſtadiis, ſtimulantia, ut cum maxime contraindicantur, evacuantia recte praeſcribuntur ; nihilominus tamen epiſpaſtica notabiliter prodeſſe obſervantur. Neque vero, uti nobis perſuaſum eſt, negari oportet, ea, quatenus totum corporis ſyſtema ſtimulent, iis morbis obeſſe ; ſed quatenus inflammationem aliam loco diverſam excitant, et copias hoſtium dividant et diſtrahant, multo magis prodeſſe, et fructus perinde futuros atque horum effectuum differentia ſit.

Hinc

Hinc patet cur V. S. et regimen antiphlogisticum, quod dicitur, vel praemittuntur, vel vesicantium exhibitionem comitantur, ut ab effectu generali, scilicet, satis praecaveatur. In medicina, haud secus quam in re politica, aphorismus sit "Divide et impera." Diathesis enim phlogistica, quae dicitur, praecipua vi in partes praedispositas impetum facit; hinc inflammatio localis cum sequelis: sin igitur metastasis a parte nobiliore ad corporis superficiem, sive natura sive arte efficiatur, satis cito fiat, morbus solvitur. In pneumonia itaque incipiente, si inflammatio satis vehemens prope partem, vel in quavis parte ignobiliore, excitatur, priusquam pulmoni aut pleurae morbus penitus insedit, partesque graviter afflixit, eae partes illaesae manent, vel cito incolumes evadunt. Hinc omnis ille Pringelii successus, multis adeo mirabilis, et vis illa derivationis multis adeo decantata, pependisse videtur. Parum fortasse refert an fomentis

vel

vel ſinapiſmis cum antiquis *, an veſicantibus vel linamentis acribus cum recentioribus, metaſtaſis fiat. Nonnulli ophthalmiam, podagram, rheumatiſmum, et etiam pneumoniam, ejus eſſe generis quod inflammatio paſſiva audit, exiſtimant; ideoque ſtimulantia prodeſſe contendunt, quod vaſa torpore languent, nec ad fluida rite propellenda valent. Sed nunc non eſt his locus, neque haec eſt noſtra diſputatio.

Cum autem *ſubitam* alicujus fluidi evacuationem, praecipue a parte ab eodem tenſa, aut quoquo modo inflammata, effectibus inſigníoribus, non ea ſolummodo parte, ſed et toto corpore, ſtipari, nunquam non notatur: veroſimillimum videtur, veſicantia modo haud ita diſſimili tantopere proficua evadere; praeſertim cum, ſi veſiculae minus conflantur, vel rubifacientia adhibita fuerint, nihil tale evenire, vel ſaltem multo minore gradu, obſervatur. Hunc operandi

G modum

* Celſus, lib. 4. cap. 6. et 7.

modum viro harum rerum in hac Academia peritiſſimo acceptum refero.

Non inficias iturum eſſe, quenquam credimus veſicantia haud raro fonticulos quam commodiſſime aperire; nonnunquam ſeri lenta evacuatione, dolore, &c. aliquid conferre; ſed haec omnia ſecundaria et quaſi fortuita videntur.

Jam reſtat ut morborum ordines ex Cl. Culleni Noſologia, quibus epiſpaſtica, debitis indicationibus adhibita, profitura judicamus: nec non eorum quibus nocitura vel parum proficua fore ſuſpicamur, recenſeamus: et tum denique obſervationes quaſdam practicas, quam paucisſimis, adjungamus.

Sin autem ex hactenus dictis modum rationemque operandi ſatis accuratam propoſuimus, haud difficile erit, morbos, quibus ut plurimum epiſpaſtica conveniant, perſpicere.

Epispasticis fere laetantur, *Febres*, niſi *hectica*—*Phlegmaſiae*, exceptis *nephritide* et *cyſtitide*,

et

et forte *hyſteritide*, propter vim cantharidum in vias urinarias ſaevientem—*Exanthemata*, dempto *eryſipelate*— *Haemorrhagiae*—*Profluvia*—*Comata*, praecipue —*Adynamiae*—*Spaſmi*—*Dyſaethesiae*—*Dyſcineſiae*.

EPISPASTICA fugiunt, *Veſaniae*, niſi forte *hypochondriaſis* et *mania*—*Marcores*—*Intumeſcentiae*—*Impetigines*—*Dyſorexiae*— *Apocenoſes*— *Epiſcheſes*—*Tumores*, *bubone* et *hydrarthro* exceptis—*Ectopiae*—*Dialyſes*.

OBSERVATIONES PRACTICÆ.

A. Ut effectus quos volumus epiſpaſticorum applicationem certius ſequantur et citius, quoniam in acutis, minimi temporis jactura majoris momenti eſſe ſolet, confert,

1mo,

1*mo*, Cantharides ut ſint recentes, vel ſaltem ne ſint inſectis *, ſitu, nimio ſerri candore, corruptae.

2*do*, In paralyticis, frigidis, torpentibus, aceti vel cujuſvis acidi tenuioris frictio aut fomentatio praemiſſa.

B. Ne in febribus, deliriis, &c. ſymptomata intendant, quod fieri poſſe, Baglivi, Huxham, Hoffman, Gilchriſt †, &c. monent; Sydenham, Morton, Friend, Lind dubitant; oportet, —

1*mo*, Ut ſtimulis aliis vehementer ſaevientibus, vel miaſmate nullatenus ſubacto, cautius adhibeantur. Igitur,

2*do*, Ut, V. S. aliiſque evacuationibus, ſtimulus generalis minor, quam qui prae localis effectu noceat, evadat.

C. Ne

* Ob. capita, pedes, et elytrae cantharidum fere inertia ſunt.—Forſten, pag. 67.

† Vid Edin. Med. Eſſays, vol. 4. pag. 287. 298. 300. and vol. 6. p. 69.

C. Ne gangraena, ſphacelus, anthrax, ſtranguria ex veſicantibus ſuboriatur, reminiſcendum eſt.

1*mo*, Ut cachecticis, ſcorbutis, venereis, inferioribus quam ſuperioribus, item ex aegri decubitu preſſurae obviis, corporis partibus, rarius applicentur.

2*do*, Capiti niſi decem horas raro, ſi per morbum expectare liceat, ne imponantur.

3*tio*, Camphoram inſigniter cantharidum vires frangere experimentis conſtat, ſive extra * ſive intus † adhibeantur; hujus igitur ope, una cum diluentibus, ne quid detrimenti viae urinariae, a cantharide capiant, proſpiciendum eſſe.

* Forſten, pag. 65. &c.

† Ibid. and Greenfield, Lond. 8vo, 1706.

F I N I S.